

DISSERTATIO ACADEMICA
DE
MEDICO AGENTE & EXPECTANTE,

QUAM

VENIA EXPER. FACULT. MED. ABOËNS.

PUBLICÆ CENSURÆ MODESTE SUBJICIUNT

PRÆSES

JACOBUS SUNDIUS,

Med. Doctor, Clin. Adjunct. Ord.

ET

RESPONDENS

GUSTAVUS ADOLPH. HELDAN,

Aboënsis.

In Auditorio Med. die XIII Dec. MDCCCXV.

h. a. m. confv.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS.

4.

DISSERTATIO ACADEMICA

MEDICO AGENTE & EXSPECTANTE

Venia Excerpt. Facult. Med. Aboens.

Facult. Excerpt. Modeste Subjunct.

PRÆSES

JACOBUS SUNDIUS

Med. Doctor, C. M. Aboens. Ord.

ET

RESPONDENS

GUSTAVUS ADOLPH. HELDAN,

Aboens.

In Auditorio Med. die XIII Dec. MDCCCXV.

h. a. m. conlv.

ABOE, Typis FRANKELIANIS



In morbis curandis quantum Naturæ spontaneæ credere debeamus, nodus est eo difficilior expeditu, quo magis ab experientia in opiniones discedimus. Variæ erant Antistitum Medicinæ de re ista sententiæ; sed duas tantum, quæ, sæculo proxime præterlapso a celeb. STAHL, & adversario hujus inclytissimo BROWN propositæ, Artem Medendi hodiernam potissimum tangunt, exhibeamus. Nimirum ille, auguratus, animam morbos in salutem corporis excitare, constituit, "Medico, exceptis rarissimis casibus, nihil agendum esse, nisi ut sponte activæ energiæ auxiliares manus præstet", hic vero, ex analogia artificii mechanici oculis inhærente colligens, quodcumque corpus vivum meræ incitationis beneficio vita frui, atque, incitabilitate unica & indivisa instructum, morbis in tota sua compage solummodo incitationis nimicæ aut deficientis culpa affici, Medentibus injunxit, ut "numquam vacui, neque viribus naturæ somniatis freti, summam rerum incitantium continuo sive detrahant, seu adaugeant." Scrupulis Pnæmaticis Stahl inutiles expectationes in rationem medendi induxit. BROWN Doctrina sua, insolito experimentorum successu suffulta, Medicis navitatem injecit, qua ægritudines permultas, antea magis dubie & cunctanter sanatas, cito tuto & jucunde evincere, iidem & prævertere contingit. At, quod ideo ignoscendum est, quia in eadem Doctrina verum ab ænigma-

mate liberare perarduū erat, ipse atque sectatores sui, gaudio de via breviorē ad sanationem morborum patefacta perfusi, hanc multoties importune ingrediebatur. Extabescunt fictæ opiniones diuturnitate, sed commodum subinde adferunt. Modus per expectationem medendi olim plurimi æstimatus est, deinde perpetuo activus ille. Uterque tempore sibi conveniente applicitus exitum habuit felicem, uterque intempestivus portas salutis præclusit. Utrumque igitur in rem nostram ita vertere studeamus, ut ægrotis agendo aut expectando pro ratione temporis prospiciatur, & neque subsidia eis necessaria inepte remoremur, nec præcocius consiliis illos in casum demus.

Hoc autem ut feliciter cedat, operam Naturæ condicere nos oportet, non temere sperare, auxilium proximum in nostra manu esse. Etenim integritatem suam organicum corpus ipsum tuetur, læsamque proprio nisu reparat. Ipsum morbos sanat, quibus tentatur; nos corpus, influxus ejus, externos apte ducendo, sanitatis recuperandæ capax modo reddere possumus. Vim medicatricem Naturæ minime pro singulari quodam principio agente, nec pro peculiari virium systemate in corpore vivo habemus; quin potius pro cuncta vi vitali adversus morbos intenta. Sit vero ab antiquis fictionibus vindicata, & facile ad visendum patebit, eam, ubicunque morbi sunt, adesse, ac medicinam absque usura ejus fore inanem. Damnanda certe est indiscreta Naturæ fiducia; nam motus ipsius interdum invalidi sunt, interdum modum excedunt, interdum præter æquum exspatiantur, vel etiam in noxias turbas vertuntur, & curaturam ab Arte ideo sæpissime desiderant. Sed observantia vitalem autonomiam tamen colamus, sine cujus conciliatione remedia Artis in totum nihil valent. In eo curam Medicus ponere debet, ut impedimenta Naturæ sanantis submoveat, & facultate illius bene utatur.

Externæ

Externæ rationes, quæ aptos Naturæ pro sanitate reddenda labores impediunt, permagni interest, ut in salubres cito commutentur. Si ordinarias condiciones exteriores desideris corporis ægotantis semper possemus probe accommodare; medicamentis rarius opus haberemus. Etsi vero ita sanare non omni tempore nostri arbitrii est, id tamen, quoad fieri potest, faciamus. Permultos status morbosos, sive ex malitia cœli vel soli, sive ob inutilitatem alimenti ac vestitus, sive etiam depressum animum propter, vix aut ne vix quidem sanabiles, mutata conditione aëris atque habitationis, victu conveniente, & vestimento utiliore, nec non affectibus animi secundis depelli videmus, vel saltem eo redigi, ut faciliorem medicinam admittant; & contra ceteras difficultates satis providere Medicus sæpius nequit, nisi ad noxios istos influxus, ut oportet, attentus sit.

Quæ in corpore oboriuntur sananti Naturæ præpedimenta, pro indole eorum universalis aut locali, vel alioqui diversa, impugnanda sunt. In universalibus autem (ut obscuros errores mixtionis primigenios, qui alias vim vitalem proxime violant, alias vitia incitationis (*) insidiosè præmittendo, nisi medicatrici illius incommoda ferunt, silentio prætermittamus) Hypersthénia atque Asthénia respectum nostrum præcipuum sibi vindicant; quia cum ipsis reliqua in cedendo admodum coeunt, & liberam actui salutari interno efficientiam plerumque non nisi ea via parare possumus, qua has pravitates corrigimus. En Pneumoniam Hypersthénie causa furentem! Natura sibi commissa casum infestum infons superare haud potest,

A 2

potest,

*) **Laconismo** hoc nostris familiari ad tonum corporis univèrse abnormem exprimendum utentes non unitatem istam imaginariam incitabilitatis, sed generalem systematum sanguinei & nervosi in corpore principatum respiciamus.

potest, sed quandoque propriæ procellæ succumbit, quandoque impetu intento certamen ea conditione transigit, ut debilitas indirecta, in loco inflammato potissimum consequentias tristes inferens, Hyperstheniam absolvat; verum antisthenica remedia vasa coarctata relaxare, orgasmum sanguinis temperare, & statum inflammatorium solidis ac liquidis corporis partibus eo usque, ut procesus restitutionis libere perpetretur, subtrahere valent. En morbum ejusdem nominis cum majore Asthenia conjunctum! Langvente motu vitali, inflammatio difficile resolvitur, gravatim quoque in benignam supurationem abit, & gangræna, vel alio quodam exitio potius terminatur, nisi aptus stimulantium ulus auxilio veniat. In morbis Exanthematicis Hypersthenia, vel longius præstrata, vel ægrotationis tempore nata, tumultus parit, quibus vis vitalis in discrimen interdum adducitur; at majus periculum Asthenia ab initio obveniens facescere potest, quatenus conatus Naturæ, in alio segnes, in alio præmaturi, in universonem autem infirmi, aut morte extingvi, aut mala subsequencia fruere solent. Sed modo ut idonei firmitatis gradus per singula stadia corpori reserventur, causam suam Natura feliciter expedit. In multis quidem morborum generibus vitia hæc procesui restitutionis haud adeo infensa apparent, & confilium, quod BROWN ex hypothese sua dedit, nihil præter eadem ad curam ægrotationis universalis cujusvis respiciendum esse, profecto non potest non reprehendi. Veruntamen id pro certo habemus, quod vix ullus sit morbus, in cujus sanatione Natura turbis incitationis numquam impediatur ac pervertatur. In nullo ergo istas flocci æstimari volumus; quin contra eas, ubicunque obveniunt, nervose vel sensim, prout valentius aut lenius vitium est, corrigi. Non vero hac mente ad Pharmaca præter necessitatem refugere convenit; cum enim eorum plurima, in primis validiora, organorum corporis catervæ actiones insolitas irrogent, adjuvamentum ab ipsis haud

ultra

ultra petendum est, quam in quantum debitæ mutationes rei externæ ordinariæ indicationibus vel neutiquam, vel non fatigato & plene respondere possunt.

Ad localia medicatrix Naturæ offendicula omnes eas iniquitates singulis organis junctas referimus, quibus hæc aut ab agendo impediuntur, aut ad actiones nimias excitantur, aut etiam in qualitate actionum peccant, aut denique alia organa secum consentientia in errores inducunt. Neque huc spectantem Medicum ad impetum morborum in partes corporis magis necessarias, vel magis sensibiles incumbentem conivere oportet. Multiformibus localia vitia actus salutaris complicant, & solertia sæpe opus est, ut ea remediis, sigillatim, per consensum, seu universe agentibus, si licet, amoveantur, sin minus, quantum fieri potest, innocua reddantur. Sic vulnus extrinsecus leniri debet, & cura universalis etiam regi: vermes ex intestinis pellantur, vel intolerantia eorum præsidii commodis minuatur: gastricæ sordes importunæ exterminandæ sunt, si vero id prohibetur, involvendæ: abundantem secretionem, aliquam aliam promovendo moderare, deficientem aliarum impendio sublevare, interdum necesse est: congestiones sanguinis turbulentæ ex prægressa Hæmorrhoidum seu Mensium suppressione hirudinum usu deducantur: stimulis cutis actiones partium internarum inertes excitare, modum excedentes restringere, atque ex inordinato in ordinem redigere refert & s. p. In eo autem permultum consistit, ut scaturigo topici mali exquiratur; cum enim per consensum ex stimulo injurioso alibi latente id prodiit, cura particularis ad sedem istius stimuli dirigenda est. Citatum auxilium e. g. inflammatio pulmonis in gravi quodam morbo accidens desiderat; sed nonnunquam bile ventriculum irritante nascitur, quæ, nisi submoveatur, operæ cuique illudit; & calculi renum actionem hepatis quandoque adeo instigant, ut

abundantia bilis cum depravatione digestionis proveniat, Febrim biliosam mentiens, at gastricæ methodi incuriosa. Ubi vitium locale ex aliquo universali fluit; præcipua rerum in eo poni debent, ut status cuncti corporis corrigatur. Immo semper studendum est curam generalem ita ordinare, ut commodis organi seorsum patientis etiam inserviat; & maxime quidem, cum topica affectio merum est universæ symptomata. Verum enim hæc molientem majus momentum partis singulariter affectæ, nec non aliarum, quæ magni sunt, partium cum ea notabiliorum consensum simul respicere oportet; nam utrumque, quando periculum imminet, nisi summa morbi ad loca minus necessaria verti possit, auxilium proprium, etiam si hoc corpori toti ceteroqui quadrantenus inconveniens sit, postulat. Concedimus sane, passiones locales morbo universali eas efficienti haud ab initio tam funditus oppositas esse solere, ut curationem a communi plane abhorrentem desiderent; quoniam organis corporis vivi, dum saltem œconomia illius non multum perturbatur, ea harmonia est, qua genium eundem in patiendi agnoscant, quaque symptomata in singulis exhibita cum morbo ista producente recedunt. Nihil tamen obstat, quominus rationibus consulendum sit, cum res in contrarium cadit; ut puta in Febri Astheniæ notam ferente, quamvis corpus ex inopia sanguinis laboret, vascula cerebri seu pulmonum quondam adeo opplentur, ut libere agere nequeant, & nihil aliud nisi aliquantula sanguinis detractio facultatem stimulis obtemperandi eis offerre potest; quis ibi haud fatius ducat subsidio hoc unico uti, quam solis stimulantibus fidem habere? Jactura sanguinis certe debilitat, sed exigua id damni corpori toti non facile adfert, quin ullo modo refarciatur; & hirudines aliquot, vel etiam providenter constituta venæ sectio, si ad vitam in summis periculis defendendam pollent, opitulatio ea non per se, sed forsan ob curam alioversus ineptam anceps evadit.

Porro

Porro medenti dijudicandum est, utrum nifus Naturæ spontanæ ceterum via recta & tuta ad salutem progrediantur, an potius ductione Artis succedere possint: atque num efficacitate commoda utantur, numne immodici sint, aut infirmi. Multo in casu Natura quidem ampliore circuitu proluxa ad integritatem corporis restituendam tendit, Ars vero morbum ingredientem restringere, evagantem coërcere, & ambages istas, pericula confusionum œconomix animalis creantes, prævenire valet. Ad hanc legem igitur formetur opera Medici, si res facultatem habitura videatur. Sic balneo tepido, emetico, vel stimulo quodam penetrabili, causam proximam mali intercipiente, Febres ex frigore, animi motu, aut etiam aliter natæ, Dysenteria, labores nervosi, alique multoties inter initia promptè supprimuntur.

Cum molitiones Naturæ actionibus corporis efficacitatem gradus vel diurnitatis vitio immodicam tribuunt, id quod in florente vigore vitali, ad Hyperstheniam opportuno, potissimum accidit; debilitantium usu ita præcavendum est, ut harmonica organorum consensio, quæ ab integra restitutione abesse haud potest, reservetur, & periculosa imbecillitas corpori universo, seu partibus ejus singularibus, nulla comparetur. At longe secus agere oportet, si efficientia ista simulata est, atque ex mera virium confusione vel impatientia proruit, v. g. quando in initio Febris cujusdam malignæ vasa sanguinea, fraudulento turgore vitali se jactantia, vivacitatem non minorem, ac in vera Synocha, exhibent. Et ardua res est nimium ejus tumultus adeo restringere, ut tranquilla navitas actui restitutionis tempore suo contingat; quippe debilitantia vires pro futuro desiderabiles directe subtrahere, stimulantia autem, si pro irritabilitate morbosa moderanda audacter adhibeantur, turbam exacuere, viresque defatigare possunt. Ineptum sane esset alterutra remedium classe sine ullo delectu
uti;

uti; sed debilitantia nobis multa sunt hic percommoda, ideoque potius temperantia appellanda, veluti regimen frigidum, acida, atque plura falia media: & quod ad stimulantia attinet, quaedam, ut vinum, ætheres, olea volatilia, vel vesicatoria, egregia in torpore auxilia, in hujusmodi rebellis cautius quidem usurpari debent, ne inflammationes, deliria, vel alios casus adversos efficiant; at vero in his medicaminibus, nomine stimulorum diffusilium celebratis, nonnulla virtutem patientem magis innocuam cum erigente conjunctam habent, e. g. rad. Valerianæ Min., Camphora, Moschus, & Opium. Præterea pro more mali diverso diversa cura exigitur; interdum balnea tepida ceteris præstant, interdum aër purus & quies.

Langventem in restituendo Naturam sustentare Medici est, ut etiam curam virium corporis in antecessum agere. Ubi procesus restitutionis ob debilitatem universalem, vel particularis infirmitatis causa, deficit; corpus via ac modo ex indole graduque mali, nec non virium directa aut indirecta jactura, determinandis, stimulari debet. Et quidem proprie stimulantibus eatenus uti licet, quoad vigorem dubium æque reficere valeant. Sed quantum in nutrimento erit, methodum victu corroborantem, præsertim in longioribus morbis, simul inire oportet. Diæta nutriens scilicet admiculum in quocumque statu morboſo ex penuria succi vitalis profecto, sive invectioni impeditæ, seu exinanitionibus penuria hæcce debetur, præcipuum est, atque eo magis necessarium, quod organa corporis sine propria virtute stimulis parere nequeunt. Cum vero recreatio corporis per cibum ex incolumitate digestionis & assimilationis pendeat; permagni interest, quo tempore diæta illa collocetur. Quando in vehementia morborum symptomata primis viis graviter incumbunt, digestio contra ea adigi non potest, & cibo tunc obtruso malum potius in pejus mutatur. At priusquam asthenica ægrotatio erumpit, &

& fere donec explicata fuerit, alimentum corporis eam prohibere, vel certe faciliorem reddere valet. Pariter in decremento morborum, & quum ægri convalescunt, nutritus magnum momentum ad restitutionem accelerandam atque firmandam omnino, in primis autem apud exhaustos, habet. Si vitia mere localia usus victus obstant, sapienter ita ingeritur, ut crebritas difficultatem elevet. Neque enemata nutrientia despiciantur, cum stomachus ob ejusmodi pravitates officio suo diutius deest (*).

Sunt denique morbi, contra quos Medicus Naturæ auxiliium Artis ferre vix non ubivis debet. Quidam puta nonnisi manu tute sanantur, quidam Naturæ facultatem propriis viribus in tutum evadendi facile adimunt, v. g. Apoplexia vel Inflammationes viscerum maxime necessariorum, & in quibusdam, e. c. Lue Venerea, Epilepsia, vel Hydrophobia, nihil præter alienos motus in corpore, remediis experientia comprobatis ergo ciendos, impedire solet, quominus molimenta Naturæ sive manca fiant, seu periculosa alicæ plena.

Quo ocius exitium morbi comparare minantur, eo majore properantia præsidium Naturæ labenti vel erranti ferendum

B

*) Puella, quæ infirmitate systematis chylopoietici ab incunabilis laboraverat, cum annum XII. tenuis egit, Febri pituitosa eas Aphthas secum ferente, ut deglutitio omnino fieri non potuerit, afflicta est. Pulsus celer ac debilis, supor sensuum, & color Aphtharum fuscus prognostica nobis auxilio venientibus dubia erant. Sed clysmata bina quotidiana, alterum jusculo carneo constans, alterum lacte recente, proxime cataplasmata ex cortice Peruv. cum vino confecta, atque aromatica, vicissim abdomini admota, vires exiguas corporis ultra duas hebdomades tamen adeo sustinebant, ut follers Natura locum primas vias liberandi haberet, & ægræ revivescenti tum denique nutritus per os in perfectionem restitutionis ingeri posset.

dum est. Sed ii, quorum moris est, ut ad longiora tempora durent, nisi in aulpiis removeantur, curam leniorem, & tanto magis permanentem, qua constitutio corporis depravata etiam emendetur, vulgo desiderant. Nam cum illis sunt altæ in corpore stirpes, nec non quando locum se in familiaritatem œconomix animalis insinuandi, & vitia organica forsan inferendi habuerunt; raro ex sententia evenit, si quis nodos promptè expedire conetur. Testimonio sunt multæ Febres intermittentes, ac hæcticæ, Neuroses, Scrophulæ, diversæ istæ in visceribus obortientes Formationes abnormes (*Aster-organisirungen* neoter.) &c.

Ut Pharmaceutica Medicina potentia Diæteticæ illius semper fulcienda est, sic medicamenta perperam adhibentur, nisi sibi mutue respondeant. Pluribus simul uti sæpe necesse habemus, quid quod in maxima necessitate summa remedia cito & semel tentare quandoque oportet, non fecus ac ultima experiri, ubi status ægri recta ad interitum ruit. In universum autem alternis remediis saluti subvenire conducit; & præsertim in morbis continentibus, atque in magna perturbatione virium asthenica cum torpore vel impatientia, variatio apta medelæ magnopere refert. Male ergo Naturæ adjumenti egenæ prospicit, qui unico medicamini, cum id non solatur, inhæret. De cetero tamen constantia curæ recte dispositæ longe salubrior est, quam indefinita nihilque certi referens commutatio.

Itaque Medico multifaria est ratio agendi, ut sananti Naturæ bene consulat. His non obstantibus vero, alias in apparatu illius proprio, quamquam longiore vel aliter molesto, acquiescere debet. Videlicet in morbis permultis, præcipue localibus, & aliquot contagiosis, utpote in Variolis, Morbillis & Scarlatina febris, certa dierum series pro restitutione peragenda

da omnino necessaria est, in aliis, si ab initio minus, saltem postquam spatium ad radices sensim agendas habuerunt. Exemplum Typhus præbet, qui, licet in principiis, subinde etiam cum contagio eum accendit, abigi possit, expeditus tamen stadia sua solita, spreto quovis renixu, nisi mors interveniat, currit. Nonnullæ porro sunt morborum formæ, quorum longitudinem Ars sæpius, ut placet, abrumpere potest, sed interdum aliquamdiu tolerare debet, ne pedetentim agens Natura ita præcipitetur, ut mala deuteropathica seu vicaria, forsan magis infesta succedant; v. g. Febris intermittens consuetæ indolis Cortici Peruviano strenue propinato mox cedere solet; verum præmature suppressam læsiones vitalitatis in hepate aliisque penetralibus quandoque absolvunt, admodum pertinaces, quominus febris valorum redordiente abducantur. Et morbi salutares utique ex sollertia Naturæ prodeunt; infons ægrotatio detrimentosam fallit, vel brevi tumultu acuto chronica passio superatur; & qui succedentem tunc inconsultus reprimit, primariam firmat, aut novam calamitatem importat. Nemo quidem modicam Diarrhæam, sive mitem Hæmorrhagiam, cum periculum mortis evidenter propulsant, salvo officio sistere posset; anne autem sapientius est, quando in statu corporis stimulorum intolerante morbus anceps meliorem formam accipit, hanc, quamlibet levantem, semper velle extemplo subigere, perinde quasi interni labores corporis nihil activum & bonum in sua potestate haberent? Morbos novos ipsi, perniciosiores removendi gratia, Artis ope frequentissime excitamus; quid beneficæ Naturæ jure eodem opiniosi interdiciamus. Itidem Natura rem dubiam per translationes ad singula loca aliquando decedit, quas lente ferre Medicum oportet, ubi eas innocue circumvenire nequit; e. g. si Typhus vulgum infestans ex indole epidemica Parotide tantum judicatur, eventum istum Febris conformatæ, etsi molestum; vetare salubre non est; quin vero nisus Naturæ in eum utili-

lter prolectantur. Adhæc recordemur, motus morbosos, cum in ipsis via est, qua ad exitum bonum perveniant, tam gradui mali, quam viribus ægri accommodatos esse debere. Vehementem tumultum per sæpe reperimus desiderari, ut morbus, sive recta vigoris effrenati per contentionem ipsam diminutione, seu intercedente fluxu quodam critico dometur, nec non alienata virium vitalium proportio in futuro morbi progressu periculosa tempestive corrigatur. In hac ratione si vividi conatus Naturæ infringuntur; restitutio, quamvis in proclivi esset, lenta & difficilis evadere potest, immo quandoque fieri nequit. Quid mirum ideo, temerarium venæ sectionis & laxantium usum formas atque typos morborum in pejorem partem rapere, judicationes demorari, mortique januam non raro patefecisse? Ex altera parte symptomata activa multoties, cum festinans Medicus ea langvere forsitan putat, moram justam habent, & aucta incitatione commode promoveri non possunt; tum enim Natura in occulto agens adeo obruta videtur, ut singulare momentum ad actiones nobis conspicuas adferre nondum queat, tum etiam organa corporis oïo nonnullo ad vigorem recolligendum indigent, & interjecta operositas actus restitutionis, qui inconcussi faulste evenirent, disturbat. Hinc plurimum derivandum esse censemus, ægrotantes nonnumquam haud prius sanari, quam medicamenta relinquunt; numne autem longum istud Medicinæ opprobrium, quod febricitantes totidem subsidio ejus carentes, atque hoc gaudentes, convalescant, ex eodem fonte fluxit? Quandocumque Natura omne bonum, quod obtineri potest, suapte perficit; aliena opera inutilis erit; nullaque Medico ibi fit cura directa, modo ut idoneas condiciones adservet, diætam convenientem ordinet, puta, ac damnosum quodcumque prævertat. Hæc quoniam peritus & cordatus nemo instituit; eo clarius apparet, Artem per expectationes medendi haud semper jejunam esse, & vituperationum, quas illa non
ita

ita pridem subit, multas iniquas fuisse. Neque supervacuum est hoc loco meminisse, eos casus intricatos nonnumquam obvenire, in quibus recte nihil efficax agitur, donec quædam morbi mutatio consilio juverit; præterquam quod Medico aliqua potentia etiam in malis, quorum sanatio ab assiduitate ejus pendet, frequenter opus est, ut vias & momenta Naturæ, itemque medicaminum effectus ponderet.

Agat Medicus ergo qua minister Naturæ, & statutum cum animo habeat, ut navitati consultæ necessarias expectationes adjungat. Nempe alias cito & strenue, consilio subinde in arena capto, alias vero consideratissime agere debet; quatenus interdum opera ejus assidua, interdum otio alterna pollet, interdum autem volentem Naturam æqui bonique facere tantum refert. Nos equidem non decet otiosos spectatores Naturæ esse, cum nostrum est salutem reddere. Satis exemplorum alienæ clades præbent. Nam ob superstitiosas antiquorum de vi medicatrice illius notiones permulti mortales de vita ante diem deceserunt, & innumeri in morbos ampliores, quos Medicina ab opinione immunis avertere vel circumscribere potuisset, implicati sunt: adhæc inconveniens iste modus præstolandi graves morborum complicationes, molestias succedaneas, & convalescentiam seram atque imperfectam multifarie attulit. Ne vero vitia vitantes in contraria curramus! Recentiore memoria Clinice successus suos magnopere urfit, & cultores ejus, alacri reformatore Brown jubente, periculo experiri haud omiserunt, quantum diligentia ad morbos sanandos conferat. At licet hæcce tempore opportuno adhibita uberrimum fructum ex se ediderit; de reliquo tamen etiamnum, ut jam olim, constat, efficientiam Artis, si omnia generatim complectamur, ordini ac modo Naturam ducendi potius, quam assiduitati, tribuendam esse. Postquam enim methodus per incitationem medendi, usu & experimen-

tis

tis commota, celeritatem suam pro re nata morari incepit; variis casibus, in quibus nuperior fallebat, respondet. Et quancunq; fient Medicinæ profectus, in perpetuum valebit, quod pulchre commonuit celeb. Stoll: (*) "Oportet nosse consvetas morborum durationes, ne forte aut languidius re- medium & imbellius opponamus, aut ne vice versa longum morbum potentius & properantius incursemus, quam morbus & æger ferant. — Festina lente, & aliquid naturæ com- mitte, & illi confide, si tempus adjuvet. — Non plus medere, quam quantum vides medendum esse!"

*) Rad, Med, P. IV, p. 63.